



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

vers. 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSVS 8.

*Et respondens centurio, ait: Domine,  
non sum dignus, ut intres sub te-  
ctum meum: sed tantum dic ver-  
bo, & sanabitur puer meus.*

QVÆSTIO I.

Quomodo non erat dignus ut intraret sub  
tectum?

*Lectio con-*  
*stitutata.*

**¶** *Ita* videtur audisse leprosum sanatum verbo; itaque tantum rogat, ut verbo dicat, iubeat, velit; fore sanum famulum. *ἐπε λέγων, dic verbo*, alia exemplaria *ἐπε λέγον, dic verbum*. Brugenſiſteſtaur multos habere, λέγον, octo Parisienſium, alioſque λέγων, omnes apud Lucam habent λόγων, ita & Syrius אמר במלתא *Amar bemelletia, dic in verbo*. Dignum ſe negat, *ἰκανόν*, hoc eſt, idoneum, vel ſufficientem, qui Chriſtum domo excipiat.

§.2. Reuera dignus non erat; sed hæc cognitio sui, cuiusque humilitas est; vt peccatores nos esse sciamus. Augustin. Serm. 6. de verbis Domini. *Audiuius cum Euangelium legeretur, fidem nostram in humilitate laudari.*

Humilitat  
fit dignus,  
qui non est  
virtute.

Ad domum quippe centurionis cum se promitteret Dominus Iesus iturum ut puerum eius sanaret, ille respondit: Non sum dignus, vt sub tectum meum intres; sed tantum di verbo, & sanabitur. Dicendo se indignum, praestitit dignum, non in ci- uis parietes, fed in ciuis cor Christus intraret. Neque enim hoc diceret, cum tanta fide & humilitate: nisi illum, quem time- bat intrare in domum suam, corde gelaret. Nam non erat magna felicitas, si Dominus Iesus intraret in parietes eius; & non esset in pectore eius. Magister quippe humilitatis & verbo & exemplo, discubuit & in domo cuiusdam Pharisei superbi, nomine Simonis. Et cum in domo eius recumberet, non erat in corde eius, vbi caput filius hominis reclinare. Dignitas au- tem quicunque in creatura esse potest, à solo creatore est. Interim hic quoque apparet centurionem Chri- sti diuinitatem credidisse. Diuinam potestatem itaque Christo adscribit, domi ei vitæ & necis arbitrium tri- buit. Vni verbo sanitatem acceptam refert. Quod nisi Christus suam potestatem diuinam asserui voluisset, sine dubio: clamasset, & in Deum totam operis laudem retulisset, sibi nihil adscripisset, vt Actor. 14. Paulus & Barnabas fecerunt.

VERSUS 2.

Nam & ego homo sum sub potestate  
constitutus, habens sub me milites,  
& dico huic: Vade, & vadit; &  
alii, veni & venit; & seruo meo  
fac hoc, & facit.

QVÆSTIO I.

*Quid illa excusatione centurio indicare  
voluit?*

Centurio  
alteri sub-  
ditus opera-  
batur ab-  
sens.

§. 1. **O** Stendere conatur non opus esse praesentia redemptoris. Nam si ego sub aliena potestate constitutus, lo' o tamen verbo multa facio; nam milites obediunt & imperata exequuntur absentis, quanto magis tu omnia poteris? ceder moribus tuo etiam absentis imperio. Ita S. Augustin. l. 1. Sermone in monte. Fuit quædam in lectione diuersifras, Beza legit, vt refert Maldon. in <sup>ex</sup> caru, in prestare, vel super <sup>potestatem</sup>, sed editio posteriori correxit, & ait Car-

ἔσται vocari, qui scilicet est sub aliena potestate: *שׁוּלְטָן דִּתְחִי* *dethcher shultana*, quod noster in  
terpres charitatis causa addidit, *constitutus*, ex Luca  
sumptum est, qui habet *παρακλησι*.

\$ 2. Nam & ego. Beza deprauari sententiam illa vici-  
fione putat , non enim à pari argumentatur plenus fidei.  
Hoc vero est nodum in scirpo querere. Tam enim à  
minore ad maius argumentum est, cum dicit : Nam &  
ego, quam si dicar : Etenim ego. Vtraque locutione ca-  
sa redditur ; cur Christus maior possit absens verbo,  
cum ipse multis modis minor nonnulla sic peragat.  
Nec probo quod Franciscus Lucas ait. [Ratio ita  
non ita perspicua est, dum iuxta nostram editionem  
legitur, Nam & ego, quamvis ita complures alii trans-  
ferant, etiam Syrus ipse אֲנִי וְעֵשָׂא אֶפְרַיִם aph ana ger, nil  
hoc aut simili modo intelligas : Nam & ego homoli-  
cet sim sub alterius potestate, tamen quia habeo sub  
me alios, multa solo iussu perficio. v. post illud : Nam  
& ego, comma fiat ; referaturque illud, non ad prox-  
imum homo sum sub potestate, sed ad istud, secun-  
dum rem, dico huic vade, & vadit ; & alio &c. tametsi  
coniunctio intercedat.] Clarissima est enim. Tu  
absens poteris : nam & ego sub aliena potestate con-  
stitutus sum, & dico huic vade, & vadit ; eadem sane  
in græco & Sy. o est ratio. Augustin. sane intellexit.  
Si ego homo sub potestate, iubendi habeo potestatem ; qui tu  
non posses, cui omnes seruiunt potestates ? Militiam prebi-  
ri illa sententia demonstrat Augustinus l.b. 22. c. 7. 4  
contra Faustum Manichæum. Eius fidem laudat, de se-  
rmonem militiam non imperat.

VERSUS 10

*Audiens autem Iesus miratus est,  
& dixit.*

## QVÆSTIO I.

*Quomodo miratus est :*

§.1. **M**Anichæi hinc docebant, Christum quædam  
ignorasse. Miratio est enim rerum quæ ino-  
pinatè accidunt, quarum causæ ignorantur. Hunc in  
modum quidem homines mirantur, dum ignorant,  
dum noua putant, & infeluta. Deus autem miratur,  
& irascitur, dum in modum mirantis agit, aut irati,  
dum offendit rem magnam esse, & miram homini-  
bus. Ita Augustinus; mirando laudant. Nec sic lo-  
cutus fuisset centu. 10. nisi cor eius intrasset Christus,  
qui nolebat, Christum rectum suum subire.

Respondet Augustin. de Gen. si contra Manich.  
lib. 11. Vidit ergo Deus lucem, quia bona est: quibus verbis  
non ostenditur eluxisse Deo in solitum bonum, sed placuisse per-  
fectioni. Quod si dictum esset, miratus est Deus lucem, quia  
bona est, quantum clamarent? quantum litigarent? Admi-  
ratio enim reuera de rebus insperata nasci solet, & tamen le-  
gitur isti, & laudant Dominum nostrum Iesum Christum in  
Euangelio admiratum esse fidem credentium. Quis autem in  
illu fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quod  
si & alius eam fecisset, ut quid miraretur qui praescriberet? Si  
solum Manichaeus questionem istam, videatur quia & illa solu-  
tione potest. Si autem non soluit, quid ista reprehendunt, qui ad  
se nolunt pertinere, cum illa quae ad se pertinere dicant, non  
noverint? Quod enim mirabatur Dominus noster, nobis mi-  
randum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnis  
ergo talis motus eius non perturbat animi statum signa, sed do-  
centur Magistri. Sic sunt & verba veteris Testamenti,  
quae non Deum infirmum docent, sed nostra infirmitati blan-  
diuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen  
ut nutriatur fides, & ad ea perueniamus, quae nullo humano  
sermone dici possunt, & dicuntur quae capere possimus.